



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

5. Tertium argumentum principale ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

foli semper Deo conueniat, & conuersim pradicetur de illo, nullique creaturæ conuenire possit: ergo talis gradus est perfectior omni illo, qui reperitur in Deo, quia tanto est perfectior aliqua formalitas, quanto est propria respectu illius subiecti, & essentialiter conuenit ipsi, v.g. rationale est perfectius omni gradu reperto in homine, & intellectuum simplex in Angelo est perfectius omni formalitate reperta in illo, quia minus commune est aliis, & magis proprium respectu hominis, & Angeli: ergo si gradus essendi à se sine vlla dependentia soli competit Deo, & minime creaturis, intellectio autem non solum competit Deo, sed etiam creaturis, Angelo videlicet, & homini: ergo perfectior gradus essendi à se, quam intellectio diuina; nam hoc, quod est conuenire soli Deo, qui omnium entium perfectissimus est, non potest conuenire gradui essendi à se; aut propter imperfectionem, alias non daretur in Deo; aut propter minorem perfectionem, alias non conueniret soli, & proprie habenti summam, & maximam perfectionem; vnde certissimum est ratione huius proprietatis conueniendi soli Deo, quam non habet intellectio gradum essendi à se esse perfectiorem omni alio, etiam intellectione.

51 Nec valet dicere non quancunque intellectiōnem constituere Deum; sed intellectiōnem purissimam, & hanc esse perfectiorem gradu essendi à se, non enim valet dicere hoc, quia etiam pura intellectio non est æque perfecta, ac formalitas essendi à se; tum quia intellectio in Deo recipit puritatem à perfectione essendi à se; ideo enim Deus est actus purus in quacunque perfectione, quia est ens à se; nam si non esset à se, non esset purus actus, & non è contra; ideo est à se, quia est pura intellectio: ergo est radix formalitas essendi à se puritatis in intellectiōne; nam gradus essendi à se est radix puritatis in volitione, in misericordia, iustitia, relationibus, & reliquis attributis; omnia enim purissima sunt, & conueniunt in ratione puritatis cum intellectiōne diuina: ergo conueniunt in radice talis puritatis cum intellectiōne diuina; sed reliquæ perfectiones habent pro radice propriæ puritatis gradum essendi à se: ergo etiam intellectio habet pro radice suæ puritatis rationem essendi à se; & ratio à priori est, quia formalitas essendi à se est prima & summa puritas in esse simpliciter sine determinatione, aut limitatione ad aliquam rationem peculiarem essendi; qualis est intellectio, volitio, &c. ergo puritas essendi à se est radix omnium puritatum, sicut infinitudo per essentiam, quæ est ipsa formalitas essendi à se est radix infinitatis, volitionis, misericordiae, iustitiæ, &c.

52 Tunc etiam propter vniuersaliorem, & amplio-rem ut ita dicam puritatem, quam habet formalitas essendi à se, ratione cuius communicat illam, non solum intellectiōni, sed etiam reliquis perfectionibus: ergo simpliciter, & absolute perfectior in puritate est gradus essendi à se, quam intellectio.

53 Tandem euidenter hoc demonstratur, quia sicut intellectio diuina est pura, ita etiam asseitas est pura, quia etiam est diuina; vnde in puritate conueniunt, solum enim differunt, quia formalitas puræ intellectiōnis dicit rationem intelligendi, & pura asseitas præter puritatem dicit rationem essendi à se sine vlla dependentia; sed ut iam supra demonstratum manet, asseitas est perfectior intellectiōne ut sic propter rationes

supra appositæ: ergo iam asseitas pura, seu asseitas diuina conueniendo cum intellectiōne pura, & diuina in ratione puritatis, excedit intellectiōnem in ratione asseitatis: ergo iam simpliciter perfectior est asseitas pura intellectiōne pura; vnde puritas asseitatis perfectior redditur per asseitatem, quam puritas intellectiōnis per intellectiōnem, cui adiungitur, sicut animal in homine perfectius redditur quasi Physice per rationalitatem, cui adiungitur, quam animal, quod est in equo per equinitatem, cui vnitur; vnde sicut homo perfectior est equo, quia conueniendo in animalitate, superat equum rationalitate; ita asseitas pura superat intellectiōnem puram, quia conueniendo æqualiter in puritate cum intellectiōne, superat illam per formalitatem asseitatis.

Declaratur amplius; quia totum hoc concretum asseitas pura secundum omnem formalitatem, quam habet, ita conuenit proprie, & soli Deo, ut nullo modo conueniat creaturæ; è contra vero in hoc concreto; intellectio pura, non omne quod in clauditur est proprium Dei, quia saltem ratio intellectiōnis est communis Deo, & creaturis: ergo magis proprie conuenit Deo asseitas pura; quia soli Deo conuenit secundum omnem suam formalitatem, quam intellectio pura, siquidem non secundum omnem formalitatem, sed solum secundum aliquam conuenit Deo soli: ergo propter rationes supra positas euidenter colligitur, asseitatem puram esse perfectiorem intellectiōne pura in Deo: ergo asseitas pura potius est constitutum ultimum essentialē, & quidditatum Dei quam intellectio pura.

SVBSECTIO V.

Tertium argumentum principale ponitur.

54 **Q**uia illud est ultimum, & quidditatum constitutum alicuius, in quo radican- tur, & cui attribuuntur omnes proprietates, & attributa propria talis subiecti; v.g. rationalitas est constitutum ultimum hominis, & sic radican- tur in ipsa risibilitas, capacitas doctrinæ, & admirabilitas; & ratio à priori est, quia essentia quatenus talis est, radix proprietatum omnium conuenientium tali essentia: ergo ultimus gradus essentia, & ultimum constitutum illius soli tali essentia conueniens, erit radix proprietatum, & attributorum, quæ soli illi essentia conueniunt.

Atqui omnes proprietates, quæ soli Deo conueniunt non possunt attribui intellectiōni, neque possunt radicari in ipsa: ergo intellectio diuina non est ultimum constitutum diuinæ essentia.

57 Minor sic probatur, quia immensitas, quatenus talis, fecunditas, & omnipotentia diuina, summa puritas in omnibus attributis, &c. sunt proprietates soli Deo conuenientes, quæ minime pradicantur de creaturis; atqui hæ proprietates nullo modo radican- tur in intellectiōne, & que conueniunt ipsi ratione intellectiōnis, ideo hæ prædicationes, Deus quatenus intelligens, est immensus, est omnipotens, & reliqua sunt materiales, & non formales; vnde si per impossibile Deus esset à se, & non esset intelligens, esset omnipotens, & immensus; quia potentia, & præsentia dantur in rebus, quæ non sunt intellectuales:

Quæst. II. Vtrum Deus constituatur; &c. 241

lectuales: ergo etiam si Deus non esset intellectus, posset habere præsentiam, & potentiam, & ratione aſſectatis. seu infinitatis per essentiam haberet infinitatem in potentia, & in præsentia, & sic absque intellectualityte esset immensus, & omnipotens: ergo nunc licet sit intelligens formalissime non conuenit illi immensitas, & omnipotentia ratione intellectiōis: ergo non omnes proprietates Deo conuenientes radicantur in intellectu diuina, & attribuuntur ipsi.

58 Deinde voluntas est attributum vt sentiunt etiam Auctores, cum quibus disputamus & communis schola; notatque in speciali, & late S. Iustinus Martyr in lib. 1. *Christianarum quæst. ad Gentiles, q. 3. in refutatione responsionis Gentilis*: sed voluntas diuina non potest à cognitione diuina, vt à radice manare; sic enim cognitio vere & proprie diceretur volens, & amans; sicut dicitur essentia Dei velle, & amare; quod tamen alienum est à cognitionis formalissima ratione; vnde licet intellectus sit prior in essentia, quam voluntas, & intellectio præsupponatur ad volitionem, nihilominus tamen voluntas non potest manare ab intellectu propter rationem dictam.

59 Imo cum essentia Dei sit principium quo productionis Spiritus sancti, licet mediante voluntate, ipsa quoque cognitio eodem modo foret principium, cum tamen Sancti, & Doctores cognitioni solum tribuant esse principium quo generationis Filij, productionem vero Spiritus sancti referunt ad aliam quasi lineam perfectionis diuinæ, quæ est voluntas, & amor: ergo intellectio diuina non est radix omnium perfectionum soli Deo conuenientium, neque radicantur in ipsa proprietates, quæ Deo quatenus tali conueniunt. Præterea quia circuminſectio vnius personæ in alia, & vnitas, seu identitas diuinæ essentia cum distinctione reali, & pluralitate personarum. Item quod detur vna persona, quæ tam relative, quam essentialiter sit à se & alia, quæ relative procedant ab alio, essentialiter autem, seu in essentia sint à se. Denique quod vna persona sit omnino improducta, & ideo vocetur prima; secunda producat à sola prima, tertia procedat à secunda, & prima tanquam ab vno principio; hæc inquam omnia nullo modo possunt attribui intellectu diuinæ, neque radicari in ipsa: ergo omnes proprietates, & perfectiones soli Deo conuenientes non possunt attribui diuinæ intellectu: ergo diuina intellectio non est vltimum essentialē constitutum diuinæ essentia.

Deinde intelligibilitas, seu veritas transcendentalis est alia affectio seu proprietas diuinæ essentia, sicut & bonitas: sed intelligibilitas non recte concipitur profluere à cognitione actuali, sed potius præcipitur intellectu: prius enim est rem esse intelligibilem quam actu intelligi: ergo non omnis proprietas diuinæ essentia radicatur in intellectu actuali.

60 Præterea, quia si à vobis quærat, quæ intellectio sit vltimum constitutum Dei; dicitis esse intellectiōem puram; atqui non potest esse vltimum constitutum secundum vtrumque conceptum, scilicet intellectuōis, & puritatis; quia vltimum constitutum alicuius quoad expressum, ita debet esse proprium illius, vt nullo modo conueniat reliquis omnibus, à quibus distinguitur, & ideo vltimum constitutum dicitur adæquate, & totaliter differentia, quia per totum, quod est in illo differt ab omnibus aliis; vnde perfectas est differentia entis, quia perfectas est id, per quod adæquate distinguitur substantia ab accidenti;

I. P. Tom. II.

quapropter si in aliquo subiecto duplex formalitas reperitur, alia ita propria adæquate, & totaliter respectu illius, vt alteri nullo modo conueniat adhuc partialiter, & inadæquate cæteris, à quibus distinguitur; & alia formalitas sit in eodem subiecto, quæ licet secundum aliquod illius sit propria talis subiecti, nihilominus tamen secundum aliquam partem illius sit communis aliis; illa, & non hæc erit adæquate differentia: ergo non hæc, sed illa erit vltimum constitutum talis subiecti: atqui in Deo datur aſſectas, seu independentia, quæ totaliter, & adæquate soli Deo conuenit, & minime creaturis; ita vt totum, & totaliter quod datur in illa quoad expressum sit differentia Dei à creaturis; & in nulla ratione formali expressi illius conueniat Deus cum creatura. Et in ipso datur intellectio pura quæ quoad expressum non est adæquate, & totaliter differentia, siquidem in ratione intellectuōis, & intelligentis conueniunt Deus, & creatura, licet differant per puritatem. Itaque in conceptu intellectuōis non differt Deus à creatura, sed potius conuenit cum illa, quamuis differat in puritate intellectuōis: ergo potius aſſectas quia simplicissima, & adæquate differentia Dei esset vltimum, & essentialē constitutum diuinæ naturæ, quam intellectio pura. Vnde vt negetis aſſectatem esse vltimum constitutum, non debetis asserere esse intellectuōem puram, sed potius puritatem; atqui puritas est communis voluntati, immensitati, & reliquis attributis, quæ sunt etiam perfectiones puræ: ergo si propterea reicitis aſſectatem ab vltimo constituto; quia est communis cæteris attributis, etiam ex vi vestra rationis debetis excludere puritatem, & intellectuōem à ratione vltimi constitutiui, intellectuōem, quia est communis Deo, & creaturis, puritatem quia est communis essentia, & attributis diuinis.

Præterea, quia puritas intellectuōis dimanat nostro modo concipiendi à puritate aſſectatis, & essentia, quod patet manifeste; nam in eadem essentia non dantur duo prædicata eiusdem rationis, sed omnia sunt heterogenea; quare si reperiuntur in eodem subiecto duæ formalitates similes inter se, ita constituimus illa, vt vna sit prior, alia posterior; vna sit essentialis, alia attributalis, vna sit radix alterius, & alia fluat ab ipsa, saltem nostro modo concipiendi; atqui in Deo datur puritas essentia, quæ conuenit illi ratione aſſectatis, quia ideo Deus essentialiter est purus, quia non est ab alio, sed à se; Item per vos datur puritas in intellectuōe: ergo hæc duæ puritates ita se habent, vt vna fluat ab alia, & vna sit essentialis, alia attributalis; sed puritas aſſectatis non dimanat ab intellectuōe, vt patet ex supradictis, neque aſſectas & puritas eius potest esse attributum puritatis intellectuōis: ergo necessario puritas intellectuōis dimanat à puritate essentia, & aſſectatis: ergo talis puritas non est vltimum constitutum diuinæ essentia. Illa consequentia à puritate rationis, vt supra diximus, patet discurrenti per cæteras perfectiones diuinas; nam paritas cæterarum perfectionum fuit nostro modo intelligendi ab aſſectate, sed non est maior ratio, cur illa, & non puritas intellectuōis fluat: ergo fluit: ergo non est vltimum constitutum, sed attributum.